Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Capitulum primum.

GESTARUM RERUM AB ADAM
PROTOPLASTO USQUE AD TEMPORA NOSTRA SERIEM EX
ecuturus, primo ipsum quem habitat genus humanum orbem sicut a maioribus acce
pimus, breviter distinguam. Tres mundi partes scriptores esse asserunt Asiam,
Affricam, Europam. Quarum primam duabus posterioribus magnitudine coequant. Quamvis
quidam duas tantum partes estimaverint, Asiam videlicet et Europam, ita vero Affricam propter sui par
vitatem coniunxerint Europe. Qui enim Affricam tertiam mundi partem dixerunt, non rationes
dimensionum, sed refluxiones marium secuti sunt. Quarum provincias, situs, regiones, qui velit
cognoscere, legat Orosium.

Capitulum Secundum.

Ad Orientem, ut quantum ex scriptis Geneseos conici potest, intra Eden, contra paradysum editum,
ubi dum primus homo positus verbo Dei inobediens in hac peregrinatione iusto Dei iudicio
deiectus est, cepit maledictionis terram excolere primo in Asia. Genuit autem filios utriusque
civitatis, de quibus agere proposuimus, primos cives. Quorum prior invidia et bonis operibus alterius inci
tatus fratrem interfecit primusque in hac valle lacrimarum civitatem construxit. Occiso Abel, alius Ade fi
lius videlicet Seth nascitur, qui resurrectionem intimat, a quo primordium populus Dei propagatur. Ab hoc septimus mag
ne civitatis Dei civitatis civis Enoch fuit, qui intantum Deo placuit ut ab ipso translatus adhuc
ultima ecclesie tempora in loco cunctis mortalibus incognito vivus reservetur. Hominum vero genus cres
cere cepit et multiplicari, donec filii Dei ad filias hominum accedentes generaverunt gygantes.
Quod quidam minus congrue intelligentes, presertim cum filios Dei alia habeat translatio angelos, malignos spiritus
assumptis corporibus, quos incubos vocant, mulieribus mixtos putant. Alii filios Dei ex Seth,
filias hominum ex Cain natas autumant ac illos ex harum coniunctione, sicut de Salemone ha
bes, ad oblivionem Dei provocatos, unde usque ira eius in omnis partem exarsisse affirmant. Et de his
quidem qui ex Seth generati usque ad VIImam generationem iuste vixerunt, Iosephus in primo antiquitatum li
bro sic ait: Disciplinam rerum celestium et ornatum earum primitus invenerunt et ne dilaberetur
ab hominibus que ab eis inventa fuerant, aut antequam venirent ad cognitionem deperirent, cum predixisset Adam
exterminationem rerum omnium unam ignis virtute, alteram aquarum multitudine fore venturam,
duas quidem columpnas facientes, aliam ex lateribus, aliam ex lapidibus, ambabus que invenerant con
scripserunt, ut si constructa ex lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens preberet homini
bus scripta cognoscere. Que tamen lapidea hactenus permanet in Syria. Et ista quidem de VII generationibus
permanserunt. De aliis vero sic: Deinde animum iudicantes esse divinum et adiutorem semper respicientes,
tempore procedente de patriis sollempnitatibus ad mala perversi sunt. Et infra: Nam mali angeli mu
lieribus coeuntes iniuriosos filios genuerunt, qui omne bonum despicientes propter confidentiam